







Vovimus, evenit: nec spes pia vota fefellit,  
Nec quæ sincero pectore fudit Amor.  
Vovimus, & celeres, fugientia tempora, Menses,  
Et faciles citius cernimus ire dies:  
Phæbefaves? læto gratissima festa reducis,  
Et recreas animos omine? Phoebe faves?  
Ingruit alma dies? natalia festa videmus  
Insignem fauste concelebrare senem?  
Et nunc ingenium conceptos exerat æstus,  
Adspiret cæptis blandior Aura meis!  
Et nunc doctiloquæ veniant ex ordine Musæ,  
Quas tulit Aonii fama decusque chori!  
Et nunc Hesperios cupimus penetrare recessus!  
Sive tuos Naso, sive Tibulle tuos!  
MAGNE VIR, ingenui quem Patris ad instar habemus,  
Quem vera candor Relligione colit;  
Accipe jam placidus, dextra vultuque serenis  
Quæ damus imparibus carmina nexa modis.  
Horrida tempestas non horrida pectora fecit,  
Nec nos cum Getico tempore terra tenet.  
Vexentur nudæ sævis Aqvilonibus Alni,  
Ludenti Zephyro corda quieta calent.  
Mens eadem, Phœbi nunquam discrimina sentit,  
Non cadit in nostras fors variata Vices.  
Patria concelebrat cætus artesque Sophorum,  
Quos inter primo Nomine dignus ades.  
In TE Socraticum mirari possumus Ævum  
Et quæ sunt Latii dona beata fori.

Heu! quæ facundæ fortissima Gratia lingvæ,  
Nec mage grandiloquo Tullius ore tonat.  
Heu! qui Castalia dulcissimus æstus in arte,  
Nec mage Nasonem ludere posse putes.  
Heu! quæ siderei perfecta scientia coeli,  
Quæque Syracosium TE facit esse Senem.  
Heu! qui sublimis in quovis Dramate sermo,  
Accede & Senecas Roma videto Tuos.  
Sæcula Te celebrant, & res ab origine gestæ,  
Et magnum Historiæ diceris esse Decus.  
Regna sub austero narras extrema Boote  
Et quæ sint Scythicis subdita colla jugis.  
Quot numerent siculæ lacrumanda incendia terræ,  
Pellæusque Puer Regna subacta gerat.  
Quos dederit magnos Virtus Germanica Reges,  
Et foveat doctos Attica terra senes;  
Qui fines Persis: quo lati Principe Regni  
Arsacidæ fortes asseruere Decus;  
Qua Turmas Latii deleverit Hannibal arte,  
Quæ Romæ Attalica sint data dona manu;  
Quæ teneant Alpes, horrens & Caucasus Antra,  
Vix Phaëthontis Eqvis, vix adeunda Notis;  
Quæ Tamesis, Rhodanus, Ganges & Mænia Tigris  
Alluat, & medio quod jacet Orbe fretum.  
Quæ Populi & celebris Romani Fama senatus,  
Cæsaris Imperio debilitata gravi;  
Quæ magni Regis molimina maxima Ponti  
Quique apud antiquos finis in Orbe datus,  
Quæ fuerit mediis collapsa Potentia sæclis,  
Sed tandem Austriaca reddita Prole salus.  
Quos nunc Augustos felix Germania jactet,  
Et millena, mihi non memoranda, refers.  
At magis accumulans præconia digna, labores  
Qui magnæ Matris condita Ventre docent.  
Exponis, gignant quæ tristia fulmina, causas,  
Quodque latens insit sulphur & ignis humo.



Monstras Saxa suis spectanda stupore figuris;  
Conchaqve per magnum Nerea lecta placet.  
Perqviris, qvæ sit Vis atqve potentia Thermis,  
Qvæ gerat obscuro terra metalla sinu.  
Differis, unde suas emiserit Aeolus auras  
Et qvæ per Pluvias commoda noscat humus.  
Magna Theophrasti videor mihi cernere dona,  
Dum Tua de Plantis dogmata nostra facis.  
Mens sine fine TVAS cupit, imbibit, excipit, artes;  
Et plus exhaustæ plus sitiuntur aqvæ.  
Dum loqueris, dum tanta refers miracula Mundi,  
Credimus Elysios nos penetrasse choros.  
Sed quid multa canis? quem magnus personat Orbis,  
Nostra minus capiet pagina pauca VIRVM;  
Adjice DILECTO, quid enim nisi Vota supersunt?  
Pro SENE devotas, Concio grata, preces.  
Magna minorqve feræ, radiantia Lumina Coeli,  
Cynthia, noctivagos qvæ moderaris Eqvos,  
Phæbe calens, rutilus qvi das mandata Qvadrigris,  
Machina, qva magnum vertitur Orbis opus,  
Ite, redite, precor! nec nostros rumpite plausus,  
Currite & Auspiciis appropere bonis.  
Fabula prisca procul! celsi Moderator olympi,  
Qvi nunquam Augusto Numine fortis abes!  
In TE spem firmam cuncti concepimus: alnum  
Tempore fac longo vivere posse SENEM,  
Multa diuqve tulit, nec adhuc industria victa est,  
TE Duce & ulterius multa diuqve ferat.  
Novimus, INGENUI qvæ sit jactura DOCENTIS,  
Qvæ sint communis publica damna rei.  
Non sine nos dubio tristes hærere timore,  
Et penetrent aures anxia Verba TVAS.  
Ejice funestos, & cum Vertigine Morbos,  
Non cadat in justum cura dolorqve VIRVM.  
Turba tace solers: DEVS audiet omnia: plaude  
Qvod restat lætum Voce manuqve VALE.

Omne felici  
Sua cum Natalia rursum  
**KRANTZIVS**

Aonii Gloria Magna chori  
cerneret,

Hæc fusis jamjam conjungere votis

Debuit

imparibus verba ligata modis

ERNST LUDWIG BÖHM, Wr.

Gymnasii Elisabet. Civis.

Wratislaviæ a. d. VI. Kal. Mart. A. S. 1731.